

**Indicatio symptomatum ventilata, et disputatione inaugurali ... // ab
Andrea Planer.**

Contributors

Planer, Andreas, active 1685-1686.
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.

Publication/Creation

Tubingae : Typis viduae Johann-Henrici Reisii, 1686.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u9rvjdzd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

20

INDICATIO
SYMPTOMATUM
VENTILATA,

ET DISPUTATIONE INAUGURALI,

Favente DEO Opt. Max.

JUSSU ET AUTHORITY INCLYTI MEDICORUM
ORDINIS IN ACADEMIA PERANTIQUA
TUBINGENSI,

PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO,

DN. ELIA RUDOLPHO
CAMERARIO,

Phil. & Med. D. & Prof. Publ. Ordinario, Con-
sil. & Archiatro Württembergico, Facultatis p. t.
DECANO Spectatissimo,

Patrono ac Praeceptore suo vitam colendo,

Pro Summis ac Doctoralibus in Arte Medica Ho-
noribus, Juribus, ac Privilegiis ritè obtinendis,

Publico ac solenni Eruditorum Examine submissa,

Ab

ANDREA Planer / Schorndorffensi.

IN AULA NOVA,

Ad diem 10. Septembris.

TUBINGÆ,

Typis Viduae JOHANN-HENRICI REISL,

ANNO M DC LXXXVI.

V I R I S

*Magnificâ Munerum Authoritate, Nobilitate,
Insigni Amplitudine, vario variarum Rerum Usu ac Experi-
entiâ Inchyris,*

Florentissimæ atque Liberæ Imperialis
Efslingensis Reipublicæ Proceribus.

DN. CONSULIBUS.

DN. PRÆTORI.

DN. SENATORIBUS SE-
CRETIORIBUS.

DN. CONSILIARIIS.

Reliquisque Senatorii Ordinis Mem-
bris longè Spectatissimis.

*Dominis meis ac Patronis colendis, nec non
Literarum Literatorumq; Fautoribus perpetuò obser-
vantia cultu prolixè honorandis.*

THEMA HOC INAUGURALE MEDICUM

In

Studiorum testimonium,
Gratæ mentis Specimen,
Perpetuæ observantiæ signum

Humilimâ mente consecrat & offert

ANDREAS Planer.



I. N. I.

P O S I T I O.

I.

Methodus Medendi est Anima Praxeos.

DUrum Logicum quo insigniant communiter titulo, notum est Doctis. Nec alio dignos esse elogio *Medicos*, qui nudis contenti Speculationibus Medicinam facere aut nolunt, aut nesciunt, opinantur Prudentes; subsidium enim, quod ruinosa ex Adamico lapsu Machinae microcosmicæ deberent, detrectant, mortisque cujus deberent esse Antagonistæ, Spectatores otiosi fiunt, indigni tam illustri quo ipse Salvator noster in Sacris compellari voluit, quoque ipsi turpiter superbiunt, Titulo. Quid enim innuit aliud *Medicina* quam Artem servandorum hominum, quam scrupulosis Isti contentionibus, contradicendi studio, & laboriosa noviturationis affectatione nunquam addiscent. Ad *Finem* ergò colliment, quicumque Medicinæ Sacrarium semel ingressi sunt, *Sanitatis* fiant assertores, morborumque averrunci, gementesque Animas ex mortis faucibus celeri manu eripere discant, certissimè persuasi, Artem cui se manciparunt, perdisci feliciter haud posse, quam ipsius *Artis exercitio* atque usu. Lapidis sane Lydii seu regulæ instar est *Praxis*, quo reduci Doctorum theses, Dogmata, Theoremata, Propositiones

tiones possunt, ut de illarum veritate atque valore constet. Illam tamen ne quis necessariis destitutus subsidiis aggrediatur, moneo, ne temerario ausu Sacra hæc illotisque manibus tractans, *Empiricorum* fata experiri necesse habeat, *Medicorum Scandalum*, *Vulgi fabula*, suoque merito *infelix* evadat, *mechanico* opificio quam reducendæ Sanitati aptior. Ut verò potiora, quæ pro exercenda feliciter *Praxi Medica* inservire possunt adminicula vel *binis* attingam, *exquisitam* ante omnia corporis humani cognitionem in futuro Practico posco. Scil. numerosa partium, viscerum, vasorum, ductuum, humorum atque spirituum series extremo cutis velamine comprehenditur, quarum quælibet suos quoque manes patitur, diversisque morborum generibus affligitur. Attentè ergò illa & per quàm sollicitè cognoscenda sunt, explorandus partium situs, examinanda earum crasis, substantia, textura, magnitudo, figura, connexio, numerus &c. inquirenda vasa, vitam, calorem coloremque, sensum ac motum advehentia, consensum quoque cum aliis partibus procurantia, venandi partium usus ac officia, humorosorum genesis, motus intestinalis ac localis cum munere debito expiscandus, investiganda vasorum sanguivehorum, lacteorum, lymphaticorum, nervosorum, tubulorum si qui sunt aliorum exortus, progressus, divaricationes, ramificationes, scrutanda spirituum genealogia atque officium, excursiones, rimanda alia, quæ lucem obeundi actionibus affundere aliquam quocunq̄ue modo possunt. Cognitis ita in *naturali* suo *statu* partibus tam fluidis, quàm solidis, consideratis earum requisitis, perspectis earum officiis, rationale quoddam iudicium est formandum de *morboſo* eorum *statu*, & *p. n. deviatione*.

Appositè hinc *Marcus Marci*, *Ægritudo*, inquit, *omnisq; affectus p. n. est quadam obliquatio & recessus à statu naturali, nec absq; statu naturali cognosci potest.* Tum verò necesse est de causis Morbificis dispicere, cum facilis morborum per medicamenta Curatio sit, modo felix causarum cognitio præcesserit. Perpendendum ergò, an Causa morbifica sit ex genere partium Solidarum, an Humorosarum, an Spirituosarum, an lædat substantiâ, quantitate, qualitate reducibili vel irreducibili, motu aut loco, an genita fuerit in ipso ægroto, an extra advenerit, an Positiva sit, an Privativa, aut aliûs conditionis, &c. ut egregiè docuit Excell. *Dn Praeses in Colleg. privato de Meth. Med.* Ut ut verò Remotiores plerorumq; morborum Causæ, querulante illud *Celebri Sydenhamio*, incognitæ ut plurimum & inenarrabiles sint, non tamen putandum est, illud curationi adeò obstare, cum non semper lateant, cum sufficiat Immediatas & Proximiores, Propinquas morborum causas, quas sagaces Indagatores intellectui sistunt, vel proprii sensus Testimonio juvante, vel Anatomicis observationibus ab aliis jam pridem factis, in testimonium & ratiocinium adductis, resectas, cognoscere. Præterea cum Morborum curatio ab eorum cognitione dependeat, Signa que rerum p. n. tantum sæpè negotium Medicos facessant, summa in illis addiscendis industria adhibenda venit, labor improbus, qui exuperari facilius non poterit, quàm si, Consilio *Brunoniano* prudentissimo, singulorum affectuum tam universalium quàm particularium signa ac Symptomata ex optimis probatorum *Autorum* scriptis in adversaria ordine colligantur, & vel quotidie ruminentur, vel ipsi etiam memoriæ mandentur: Exurgeret ex illa, si aliquandiu continuaretur, signorum, symptomatum ac phænomenorum

rum congerie magno boni publici commodo genuina ac desideratissima morborum omnium Descriptio s. Historia. Dubitandum enim non est, cognitis accuratè & perspectis ordinariis morborum phænomenis Curativas genuinasque morborum Indicationes feliciter longè prodituras esse. Denique & Armis opus est, quibus morborum expugnatio quantum licet, suscipiatur, ex triplici *Medicina Therapeutica* Armamentario, *Diatetico* nempe, *Chirurgico*, & *Pharmaceutico* petendis, quorum præ cæteris instructissimum est *Pharmaceuticum* in tres denudò classes pro *triplicis Naturæ Regni* differentia, subdivisum, unde tot tantaque prodeunt remedia, ut eorum copiâ potius, quàm inopia laboremus. Est enim Medicamentorum quasi quædam Sylva Medico acquirenda, ut Naturam aliquando varietatis amantem, & remedia quibus aliquandiu adsuevit, non raro contemnentem, alio subinde, eoque efficaciori reficere possit: Vulgaria verò & simplicia haud facile despiciat, cum vulgaribus haud rarò etiam graviores morbi feliciter quam quibuscunque pretiosis curentur; compositis autem uti, ubi simplicia sufficerent, nefas fiet. Cæterum ut ut hæc & alia tam necessaria quàm utilia profuscienda *Praxi Medica* sint & videantur, nec illa tamen omnem jam paginam absolvunt; Restat enim *Agendi Modus*, restat debita Curatio, quam dum *Fernelius* *rectam & convenientem remediorum usurpationem* vocat, pauca quidem ponit; sed sub tantillis literulis plurimæ involvuntur difficultates. Optimè *C. Hoffmannus*, *difficile*, inquit, *non est scire quid sit oleum, quid mel, quid vinum &c.* *Scire verò cui vel quibus vinum sit præscribendum, quo tempore, qua quantitate, illud difficile est.* Hinc Medicamentum aliàs probum probatumque inscitè & intempestivè usurpatum

patum effectu suo carere, & efficacissimum licet aliàs inefficax reddi, sæpè sæpius accidit. *Herophilus Antiquus Medicus* dicebat: *Medicamenta aut nihil sunt, aut manus DEI;* cui addo: *aut nocent.* Remedium quibus his aliisque, in Praxi incommodis se eripiat Medicus, præsentius non datur *Methodo Medendi*, unico Medicinæ ritè faciendi fundamento, *Rationi & Experientie* innixo, quam si in mente Medicus Rationalis, ut Mechanicus perpendiculum normamve suam in manu sedulo teneat, evitare scopulos plures, inevitabiles aliàs visos, facili labore poterit. *Plato* inquit: *Qui Artem sine Methodo se acquisivisse arbitratur, sciat, se umbram Artis, non Artem ipsam habere.* *Methodus* illa est Medico, quod Nautæ magnes, quod Fossori metallico Lux. Hæc in pugna Medicæ Dux & Antesignanus est, qua singula administrat Medicus, disponit, fluctuantes animos per inextricabilem rerum multitudinem in semitam reducit, & agendorum modum definit. Hac instructus opus non habet Medicus, ut Universales Medicinas, Panacæas, catholica, secreta, arcanissima, astra &c. medicamenta anhelet; Uno verbo: *Methodus Medendi est Criterium, quo verus Medicus à Medicaastro differt.* Docet enim, an agendum sit, (sæpius namque Medicus nihil agendo prodest ægro) quid, quantum, (in quo olim totam medentium Artem constare dicebat *Tappius*) quando, ubi agendum; Docet illa, quomodo pro ratione ætatis, temperamenti, vitæ generis, sexûs, regionum, loci, temporis anni & morborum, habitûs corporis, virium, consuetudinis, idiosyncrasia partium affectarum, statûs Lunæ, aliarumque circumstantiarum, Curatio sit varianda, moderanda; Comprehendit, quæ in diffusissimo Medicinæ campo sparsim hinc inde prostant, & quasi in tabula accuratam

remediorum inventionem, artificiosamque eorum applicationem delineatam oculis objicit; monstrat normas Curationis legitimas, ut nempe Curatio fiat Citò, Tutò, & jucundè, habito semper Rationis prudenti Experientia fundatæ respectu, ne sub Curationis celeritate securitatis oblivio obrepat, neve affectatum nimium jucunditatis studium pœnitendos fructus ferat. Horum verò moderationem *Judicium* cujusvis *Practicum*, quod pro stamine legitimam ponit methodum, docere debet, quod & innuit *Timæus* qui in *Epistolis* ita scribit. *Non est cujusvis esse Medicum, nisi à Natura nactus sit ingenium σὺχασμόν. Est enim aliquid in Medicina quod nec dici nec scribi potest, quamvis non minus arduum sit, imò plus quam Trojam capere.* Hinc quod Docti cœteroquin Medici Medicinam sæpius infeliciter faciant, non tam exinde fieri censemus, quod vires Naturæ ægrotantis inimicas, ut *Nonnemo* vult, in se gerant, quam quod *indigitatâ Prudentiâ Practicâ* destituantur.

I I.

Methodus Medendi, Indicatione mediente, Ipsi Indicanti accommodatum Indicatum, Experientia simul in consilium ducta, pro restauranda sanitate pristina determinat.

DUm hæc pono, non contradico *Francisco Henriquez D. Villa corta*, cui via quædam universalis procedendi rationabiliter in curationibus vi principiorum & ratiocinii acquisita dicitur (modò Experientia non excludatur) nec *Illis*, qui normam ac regulam omnibus curationibus applicandam, qui ejus essentiam & formalem rationem in accuratâ verarum Indicationum inventionem

ventionem & dextrâ eorundem executione consistere, qui Rationem dicunt, qua per Indicationes remedia inveniuntur. Indicatio autem vera à falsa probè discernenda est; falsa enim non rarò formatur, sed Artificis culpa, vera autem omnis est, quæ ad Artis formatur Regulas. Ad quam mentis operationem pertineat disceptant. *Ego* dico, constituere Syllogismum; majorem enim terminum supeditat Indicatam, medium terminum Indicantem, minorem ipsum subjectum patiens p. n. dispositum. Dicitur modò ratio dirigendi actiones, modo ostensio auxiliorum, modò perceptio juvantis Indicantem per causas cognito dicitur, modò comprehensio juvantis tanquam Indicati, cum comprehensione Nocentis tanquam Indicantis, cujus gratia Auxilium expetitur. *Indicatio* siquidem omnis Indicantis ad Indicatam Relatio est, nec fieri illa nisi facta Indicantis cum Indicato collatione potest, quorum naturâ non satis cognitâ, non ad Regulas applicitâ debitas, fallacem fieri Indicationem atque infidelem necesse est. *Indicantis*, quod Therapeuticè, non semioticè hic accipio, *requisita* sunt, in corpore vivo ut existat, ut sit agens, corpus nimirum afficiat, immutet, hinc & sæpè Medicus, ut Prætor, minima non curat, ut sit præsens, permanens, ut sit notum, tam per rationem quam per Experimentiam, si non exquisitissimè, modò pro formanda indicatione sufficienter, ut sit unum, ut per propriam essentiam indicet, ut per indicati executionem ejus essentia, sive natura, sive formalitas, qua adversatur humano corpori, auferatur. Varia quidem contra unum & alterum horum requisitorum ab *Authore Hoc* vel *Illo* moveri solent, manent tamen immota. *Objiciunt* contra existentiam in corpore requisitam: *Causæ Externæ*
indi-

indicant; Aer actu morbum fovens externus indicat; imò Aer externus est causa interna vitæ nostræ, & pro hujus conditione se hominis habet sanitas, cur ergò non indicaret? Verùm *Respond.* Causæ externæ non indicant Therapeuticè, licèt semioticè, quod alienum à nostra acceptione est, quando enim corpus nostrum lædunt, E. G. Venenum in Ventriculo, ferrum in vulnere, faba in aspera arteria, ossiculum in œsophago, non amplius externæ sed internæ sunt; Aer externus morbum fovens dum corrigitur, mutatur, materiam Indicati suppeditat; Aer vitam nostram conservat, valetudinem disponit ac dispensat, non quando extra corpus, sed dum in corpore est. *Object.* contra actionem: Morbus indicat, qui tamen non agit, sed privatio sive absentia Sanitatis est. *Respond.* An morbus indicet, hinc non examinabo, sed ponam; consistit non in pura privatione, sed est dispositio positiva, hinc agendi vi non destituitur. *Obj.* contra permanentiam. Temperamentum naturale indicat, quod in statu p. n. præsens non est; In habitu Athletico adhuc sanis Vena secari solet, ubi morbus non præsens, sed futurus, quem præcavendi gratia V. S. instituitur, indicat. *Resp.* Temperamentum naturale, ceu & aliæ res naturales, ætas, sexus, corporis habitus, partis crasis, textura, functio, sensus, situs &c. non naturales & præter naturalium adjuncta, primariò non indicant, sed primarium Indicans specialiter determinant, ac restringunt; V. S. ista causam morbi futuri antecedentem, quæ præsens in corpore est ac permanens, aufert. *Obj.* contra unitatem: Unus morbus indicat & V. S. & Purgationem, sunt morbi, sunt causæ quæ unum dicunt, varia & diversa indicantes, cum tamen unum uni opponi deberet. *Resp.*

Unum realiter, varium est formaliter] pro vario respectu; V. S. & Purgatio, si accurate loqui velim, non indicata, sed auxilii materiæ sunt, nec unum Indicans, quâ unum, utrumque istud postulat; Indicans si componitur, etiam compositum oritur Indicatam, non multiplex Indicatam, sed multa Indicata sæpè sunt. Quemadmodum verò speculum quoddam simulachra rerum oculis nostris promptissimè exhibet, ita cognito ejusmodi Indicante, mox quid agendum sit, percipimus, cum illo posito Indicatam necessariò etiam ponatur, & quærentibus non secus ac digito monstratur. Estque *Indicatam* juvans istud, quod ab Indicante, re quadam p. n. agendum monstratur, utilis præsidii, postulati, auxilii, scopi, remedii, intentionis nomine apud *Authores* veniens, quibus denominationibus aliam non movebo litem, nisi quod evitandæ confusionis gratia *Indicatam* & *materiam indicati*, quæ etiam auxilium & remedium dicitur, & *materiam auxilii* & *materiam medicam* probe ab invicem discernenda esse censeam. Mutuam ergò Indicantis & Indicati relationem repræsentat *Indicatio*, & ex prudenti utriusque collatione quid agendum sit non tantum, sed & quo remedia administrari modo debeant, elicit, colligitque, Rationis adjuta Subsidio & *Experientia*; Contra *Experientiam* quidem sunt, qui circa Indicationis negotium excipiunt, solam sufficere Rationem opinantes, quod Rationalis nostra Methodus, hoc solo, quod Rationis Imperio subjecta sit, ab *Empiria* distinguatur, utpote quæ seposito Rationis & Indicationum usu in *Curationibus* suis progrediatur, hinc etiam quicquid ab *Experientia* sejunctum est, illud totam Indicationem constituere, cum Præceptore suo *Galeno* asserunt. Verum, sicuti sua Rationi dignitas

inoffensa manet, ita nec Experientia omni defraudanda honore venit, nec enim mutuum consortium renuunt, quin arcta utriusque sunt vincula, stricti amicitiae nexus, ut re ipsa neutiquam sejungi, commodè possint: Porrectis invicem manibus incedunt, ut titubante unâ, altera in alterius subsidium ruere possit. Sensus ad miniculo fulta est Experientia, hinc quæ sub illos cadunt, adeò quidem fallacia non sunt, illustrari tamen à Ratione haud renuunt, aliquando volunt debentque. Ratio verò suis innixa fundamentis morborum Causas atque præsidia indagat quidem, fucum tamen quandoque facit, cespitat aliquando, quin & multa subinde suadet, quæ tamen usus coarguit. *Nuptam ergò Rationi Experientiam in Indicationibus desidero.* Non tamen quamvis, sed doctam, ex particularibus universalia prudenter deducentem, sive propriam, sive ex probatis Authoribus collectam, non Rationi è diametro oppositam intelligo *Experientiam*, de quibus prolixius alibi agitur: Et ad utrumque illud hætenus laudatum Rationem nimirum & Experientiam refero *Analogismum* (non Empiricorum sed Dogmaticorum,) nam est observatio sive repetita memoria eorum, quæ Ratio postmodum applicat, sive est ratiocinatio à simili, quod per Experientiam fuit antea observatum, ad simile.

III.

Certas Regulas ac Præcepta præscribit.

Sunt, qui *Medendi Methodum* nihil nisi *Judicium Practicum* esse statuunt, ipsam præceptis comprehendere, librisque, pro ut hætenus, tradi posse negantes. Cum in usu, sive Exercitio consistat, præcepta autem Theoriam dicant, licèt Medicus illam à *Galeno* traditam Methodum

rhodum penitùs penitùsque noscat, tamen sine Judicio in Arte Curatoria nihil effecturus sit, cum Methodus modò dicta sit antiqua, inventa verò & Hypotheses Modernorum novæ, cum Empiricorum curatio nostram sæpè methodum pudore afficiat, in Praxi multa fiant citra Methodum, nec semper in morborum ablatione observari possit methodus ista aliàs laudata, cum sæpè accuratissimè licet istius methodi sequatur Regulas Medicus, tamen moriatur æger. *Verùm*: Sicuti Judicium Practicum, Prudentia Practica facit Medicum inque eo maximè requiritur; ita præsupponitur agendorum scientia, si non individualis, tamen generalior cum determinationibus ac exceptionibus, quod & de Aliis Artibus per inductionem probari posset. Et licet hunc aut illum Individualem in *Titio*, *Sempronio* casum aut affectum ejusque curandi methodum in libris obviam non inveniat Practicus, prius tamen generalia non solùm, sed & specialia præcepta (quæ in respectu ad individualia, genericas ponunt regulas) animo habeat necesse est, quæ ex libris & Doctoribus haurire ubique potest; Judicium utique est necessarium, at cum scientia, nam nec hæc sine illo, nec illud sine hac utile quid præstabit; *Galen*i Methodus in multis, non omnibus laudatur, non, quia *Galen*i est, sed quia Rationi & Experientiæ consona: Nova Inventa, novas hypotheses examinare, methodo applicare, ipsamque hoc modo illustrare ac emendare debet Medicus: Nec rarò hodie nova Hujus vel illius Medici videtur Methodus, quæ cum antiqua convenit, modò debitè consideretur & explicetur, licèt Indicatum exequatur Ipse non eadem individuali Materia Medica. Et certè meo Judicio pleræque diversæ diversorum Medicorum Methodi, optimè, mo-

δὲ Φιλαντία non dominetur, conciliari poterunt, sicut
 & alia in aliis Medicinæ partibus: Empirici sæpius cu-
 ræ ad Methodi Regulas gestæ ultimò superveniunt, &
 omne fecisse putantur; & si aliquando curant, inseri
 secundum debitam methodum curant: In Praxi citra
 Methodum multa fieri apparet, non revera contingit:
 In morborum curatione observatur Methodus, utique
 non generalis, non Cujusvis, qui sibi istam format, sed
 debita omnibus probè consideratis specialibus ac deter-
 minata, ut mox ostendam; Quod æger non raro mori-
 tur debita tractatus methodo, quàm variæ possunt esse
 causæ; DEUS, in cujus manu vita & mors nostra, cujus
 Dextra Medicamentis benedicit, aliquando vel ob æ-
 grum, vel ob Medicum suam subtrahit auxiliatricem
 Dextram, ne de morbo, ejusque idea, adjunctis, &
 subjecto dicam; *Frustratur Medicus suo fine* culpa modò
 ægri, qui vel non statim Medicum vocat, morosus est,
 mollis, debilis viribus, vel importunè rusticus, nasutus,
 sciolus, vel Agyrtas prius consulit, ultimo Medico cu-
 rationis tribuit laudem, vel fraudulentus est; modò Ad-
 stantium, qui ægrum reddunt inobedientem, sua ob-
 trudunt experimenta, pleniore victu ipsi molestiam
 creant, pigri, inscii, morosi, stupidi, scioli sunt, modò
 pharmacopolarum peccantium, modò variorum exte-
 riorum debitè se non habentium. Quando verò Me-
 dici non legitimè sive cognoscentis sive curantis con-
 tingit culpa, quando etiam bonus dormitat Homerus,
 Arti non imputandum est. Nec suo semper potiuntur
 sine Belli Duces, Nautæ, Agricolaë &c. Potissimum vero
 notatum velim t. me non laudare Illos, qui dum Re-
 gulas methodi tradunt, prolixas controversias in λογ-
 μαχία consistentes tractant, cum potius, sive scriptis, si-

viva voce fiat, Regulæ, Axiomata specialibus casibus
 in Praxi quotidie occurrentibus applicari & ita explicari
 debeant, Praxis enim generalis ibi exponitur & per ap-
 plicationem ad specialia in usum ducitur. 2. Methodum
 Medendi non solum primaria illa Indicantia debere
 ponere, & Indicata ipsis opponere, sed & maximè pro-
 beque pensitanda Indicantia secundaria, quæ sunt è Re-
 rum Naturalium Classe, Temperamentum, Ætas, Se-
 xus, Corporis Habitus, Vitæ Genus, Idiosyncrasia, Pars
 affecta, quæ temperiem, texturam, nobilitatem, sensum,
 conformationem, connexionem, situm, functionem,
 Pars transitum medicamentis concedens, Syderum in-
 fluxus, & Vires: E Non-Naturalibus Aer, Cœli status,
 Regio, Anni tempus, Habitationis locus, Cibus & Po-
 tus, Consuetudo &c. E Præternaturalibus, morbi longi-
 tudo vel brevitudo, Tempora, Paroxyismi, Causæ Morbifi-
 cæ adjunctæ &c. Hæc enim si probè pensitantur, Consen-
 tientia, Coindicantia, Permittentia, Prohibentia &c. con-
 stituunt quæ artificiosè Methodi præceptis cum appli-
 catione tradi & possunt & debent. E. G. Cùm Medicus
 solum inhæret isti Regulæ: Materia peccans est educen-
 da. Quoties (nè dicam, multos sæpè putare, causam
 morbificam peccare quantitate, evacuatione educen-
 dam, cùm ejus energia in minimo, sed maximè activo
 consistit fermento) invita Natura purgationem moli-
 tur, sive sequatur, sive non sequatur, insigni ægri da-
 mno, quia solum illud Indicans considerat, non verò
 prohibentia, non illa dicta determinantia, &c.

I V.

Inter Generales Methodi Regulas eminet:

Contraria Contrariis curantur.

Hipp. lib. de flatibus scribit. ἐνὶ δὲ συντόμῳ λόγῳ, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐσὶν ἰάματα. Ἰητρικὴ γὰρ ἐστὶ πρὸςθεσις, καὶ ἀφάρσις, ἀφάρσις μὲν τῶν ὑπερβαλλόντων, πρὸςθεσις δὲ τῶν ἐλλειπόντων.

U*No dicam verbo, contraria contrariorum sunt remedia. Medicina enim est appositio & ablatio: Ablatio quidem eorum, quæ excedunt: Appositio verò eorum, quæ deficiunt. Et secund. aphor. 22. ἀπὸ πλησμονῆς ὀκίσει ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἴηται; καὶ ὀκίσει ἀπὸ κενώσεως, πλησμονὴ. Qui à plenitudine morbi fiunt, vacuatione curantur: & qui ab inanitione proficiscuntur, sanantur plenitudine. Quem secuti sunt magno agmine multi; Quidam autem non exiguo numero penitus ab his dissentiunt: Paracelsus Paragr. tract. 1. pag. 211. falsam hanc Regulam esse operosè docere conatur. Affecte ejus plures Chymici similia similibus curanda dicentes similitudinem tam respectu Naturæ quàm respectu morbi & causarum morbificarum requirunt, Archéum roborare jubent. Hinc Severinus non filiis esurientibus & panem petentibus scorpionem porrigendum, neque sitientibus acetum felle inquinatum offerendum, sed consentaneos, similes eosdem liquores exhibendos esse scribit; Crollius inquit: Ægra corpora qualitatibus contrariis curare velle, nihil aliud est, præterquam Naturæ, bello intestino satis labefactatæ, bellum intrinsecum in totalem sui ruinam movere. Quæ Helmontius & cum eo plures passim moveant, notum est peritis Medicis; Hic enim loci, ubi non Methodum Medendi penitus exponere, sed saltem viam ad scopum præfixum parare animus est, argumenta hinc inde ventilari solita non producam. Tozzi in Medicina pag. 217. neque contrariis neque similibus morbos curari vult inquiring: At Experientia utrisq; repugnat, quæ edocemur neq; contrariis, neq; similibus morbos curari, nisi ta-*

men nomine ludamus, cum contrarietas, & similitudo in rebus,
 si qua est, nil conferat ad illorum curationem. Experimur e-
 nim plerumq; morbos sinere tum similibus, tum contrariis puta-
 tis medicamentis, tum quoque iis quæ neque similia, neque con-
 traria dici possunt. Sic Renum dolorem à calculis inductum iis-
 dem calculis propinatis, ovorum testis, succo limonum, & non
 raro elixire ex cancris, & spiritu vini parato tolli videmus: In
 febribus potus aquæ gelidæ, spiritus chalcantbi, sicut etiam pi-
 per, centaurium, absynthium, gentiana, in vino exhibita pro-
 fuisse referuntur: Sitim sedant pariter, aqua ardens, aqua geli-
 da, imò etiam calida, ita ut constans Medendi Methodus per
 contraria, & similia nullo pacto tradi possit. Quæ igitur præ-
 cipitant aut compescunt fermentum febrile, febris causam tollunt,
 non autem quia similia, aut contraria, &c. Verùm contrarie-
 tas hinc non strictissimè accipienda, sed in latiori signi-
 ficatione, talia nimirum, quæ simul in corpore locum
 habere non possunt, sed, quo uno posito, alterum tol-
 litur, adversa scilicet, repugnantia, sive natura, sive o-
 peratione saltem, virtute & effectu, quoad quantita-
 tem, situm, figuram, numerum &c. sive per se sive per
 accidens, sive immediatè, sive mediatè, ut *Regius* loqui-
 tur, imò & privativè opposita. Est ista lata contrarietas
 non solùm ratione morbi & causæ morbificæ, sed & ratio-
 ne ipsius subjecti, quale in statu sano fuit, determinan-
 dum est. Contraria hinc non priori, quod in statu sano
 fuit, temperamento, aut constitutioni, sed saltem *τῶ* p.
 n. opponuntur, Spirituum sive Archei opem requirit cor-
 pus in sano & p. n. statu, aliàs in cadavere morbi & cura-
 tiones esse possent; Residuum quid sanitatis est in quovis
 morbo, ut ergò talia conserventur, utique similibus o-
 pus est; Ista autem conservatio similibus perficienda
 Regulam ponit in Methodo tuendæ sanitatis sive con-
 ser-

servatrice, mihi autem hinc sermo est de methodo Therapeutica sive curatoria, utraque enim Medicus instructus esse debet; hinc & lex rerum non naturalium usus non in sola Conservatrice sed & hac posteriore tradendus est, prout nimirum ibi tanquam simile conservat, hinc verò tanquam contrarium tollit. Nullam quidem Ens sui interitum aut destructionem appetit, sed se multiplicare conatur, hinc & calor in humano corpore nimius se ulterius extendit, sed homo percipiens rem sibi molestanti format axioma: Omne p. n. est tollendum, morbus ergò, immediatè sive mediatè &c. est tollendus. Archéus sive spiritus roboratus non paucos curat morbos; Verùm aut roboratur in morbo id quod restat & fit, ut dictum, per similia ad tuendam præsentem sanitatem spectantia; aut restauratur deperditus, emendatur læsus quæ texturam, qualitatem &c. & hoc debet fieri, per ea, quæ contraria sunt ipsis lædentibus; Et ita Medicus adhibet contraria causis morbificis & vitiatæ subjectorum diathesi, non vero contraria Dispositioni naturali. Et ipse Archéus dum curat, agit tanquam contrarium causæ morbificæ: Ipsum Archéum si *Helmontius* indignantem efficit placidum, annon adversum dicit? Occasionalem causam dum tollere suadet, annon per dissimile, per repugnans agendum innuit? *Proavus meus Dn. Andreas Planerius, Nobilis Athesinus, Professor quondam in hac Academia Philosophiæ & Medicinæ Celeberrimus Method. Medendi cap. 7. scribit: Duo sunt præsertim causarum salubrium genera, nempe similitudo & contrarietas: Priore genere continentur illæ causæ salubres, quæ præsentem sanitatem & valetudinem bonam tuentur & custodiunt: Cujusmodi omnes debent esse similes, cum simile tantùm conservet simile. Ex posteriore genere, sunt non Φυλακτικὰ sed ποιητικὰ sive δημιουργικὰ*

γῆραι ἀπτα, quæ morbum depellendo sanitatem inducere & efficiere dicuntur. Cum enim sanitas & morbus opponantur, & uno è subjecto excedente, alterum immigret, liquet certè, illis ipsis, quibus removetur morbi, sanitatem induci, & ob id rectè *πυκνὰ τῆς ὑγιείας* vocari. Stat ergò Illa Methodi Regula.

V.

Indicantium Classi inseruntur Symptomata.

AD Ternarium Præternaturalia & hinc Indicantia. Primaria redigunt communiter numerum, Ista enim dicunt, *Morbum*, *Causam* morbi, & *Symptoma*. Ab His recedunt, qui Morbum ex Indicantium serie excludunt, quam Controversiam nunc non facio meam. *Symptomatum*, quæ tertiam in ordine rerum p. n. valetudini nostræ insultantium classem occupant, prolixam undique familiam cernere licet, quæ tamen in hoc conveniunt singula, quod nec Causa sint, nec Morbus, utrumque vero horum præsupponant, & morbi consequens sient. Obiter qui rem tractant, haud raro Symptomata cum morbis confundunt, cumque errores illi sæpius contingant, non defuerunt, qui pro evitanda omni vocum ambiguitate, satius esse rati sunt, contrahere rerum p. n. numerum, & ex ternario binarium, constituere, ut quicquid in universo Pathologiæ Hæmi-sphærio continetur, vel ad *causarum* vel *productorum* Morbificorum catalogum referendum sit. Verùm licet maximi in Therapia momenti sit causas à productis discernere, licet Medicus sub uno producti nomine morbum & Symptoma habere possit, non minùs tamen accuratè locuturo dicendum est, formalitates ipsorum distinctas esse. Ut ergò Morbus præsupponit Causam, ita Symptoma Morbum. *Symptoma* autem hic intelligo secundum

cundùm communem loquendi formulam, dum effectum morbi dicit, sive sit extra partis constitutionem, sive non, cùm in *Pathologicis* prius illud rectè requiratur. *Symptoma multis expungitur è Classe Indicantium per se; In-*feritur verò ab Aliis ita, ut ablationem sui poscat diversam à morbi ablatione, ut absque magno periculo non possit expectari ablatio morbi à quo dependet, nisi prius ipsum removeatur. *Patroni hujus sententia* urgent, quòd *Symptoma* sub vulgari Rerum p. n. Trinone comprehendatur, agat, & contra Salutem individui aliquid moliatur, quòd suam habeat permanentiam, diversam penitus à morbis causisque naturam, quod hinc per propriam naturam indicet indicatum singulare & diversum, quod nec causas, nec morbos tangat, & propria requirat remedia, non causæ aut morbo opponi solita. *Symptoma ergò per se Indicare censent.*

V I.

Sed minus accuratè.

Qui res accuratè considerat, earum formalitatem ut perspectam habeat, prospicit. Cùm ergò *Symptoma* quòd *Symptoma* nudam & umbraticam à morbo habeat dependentiam, cùm sub hac formalitate consideratum duo posteriora supra *θ. 2.* posita requisita Indicantis non habeat, nec ad Indicantium Ordinem admittere possum. Quando enim Indicare dicitur, tùm vel non sub formali Symptomatis indicat, sed quia causæ rationem naturam aut indolem induit, vel non ipsum Symptoma sed ipsa Symptomatis causa curam postulat, vel utroque modo hoc agit. Quando hoc vel illud Symptoma dictis modis ad se trahens curationem tollitur, fit per talia, quæ causam immutant, auferunt, quæ subjectum à perversa disposi.

dispositione liberant, contra ultteriores insultus & actiones in ipsum muniunt, dispositionem utriusque tollunt, quæ communi loquendi modo vires roborant. Ista supra posita requisita operosè nimis congesta *Quidam* dicunt, sufficere censentes, ut Indicans sit id, quod Medici operam exigit, seu Medico aliquid agendum esse monstrat. Cui, licèt nimis generaliter posito, si inhærere vellem, tamen ex dictis patet, & dicendis patebit, nec hoc competere Symptomati: Rationum in thesi priori adductarum nervus facilè præciditur. Nam dum Symptoma tanquam p. n. agit & salutem individui destruire conatur, causa fit, non Symptoma, permanentiam à se solo non habet, per distinctam suam naturam & indolem non indicat, ut modò dictum, & ipsi opponi solita remedia causam & Subjectum respiciunt. *Galenì*, cujus omnia, ceu *Paracelsi*, nec damno, nec laudo, effatum est *lib. 12. Meth. Med. c. 1.* καθόλα μὲν εἶπῃν, ὅθεν τῶν συμπτωμάτων, ἢ συμπτώμα ἐστίν, ἢ ἐνδείκνυται θεραπείαν, ἢ ἄλλῃ πρῶτως. Κατὰ συμβεβηκὸς δὲ ποτε καὶ τὰ συμπτώματα τὴν θεραπείαν ἐξαλλάττει, λόγον αἰτίας ἔχοντα κατ' ἐκείνου πὺν χρόνον. Ἐν δὲ αὐτῶν ἐστὶν ἀπάντων κεφάλαιον, ὅταν γ' ὡς αἴτια τὴν θεραπείαν ὑπαλλάττει λέγω δὲ ἐν τῷ τὴν βλάβην, εἴτ' ἐν τῆς δυνάμεως, εἴτε τῆς ἀφάσεως. ὡς ὅταν γε βλάβη μηδὲν ἢ ἀφάσει τὴν ἴασιν. *Uti in summa alicam, nullum Symptoma, quæ Symptoma est, nec curationis rationem indicat, nec primum immutat. Ex accidenti tamen Symptomata curandi rationem aliquando immutant, Cause locum eo tempore habentia. Eorum omnium, cum veluti cause curationem immutant, unum caput est. Dico unum id Lesionem, siue ea sit Virtutis siue Affectionis. Quando nihil eis officium, curationem non interpellant.*

V I I.

Non rarò tamen ab ordinaria Cura ad se trahunt Medicos.

CONVENIUNT quidem Symptomata in hoc omnia, quod morbos comitentur, differunt tamen, quod alia vel parum vel nihil laboris ægro faceffant, hincque specialiter attendi in morborum curatione à Medico non postulent; alia v. ob junctam sibi gravitatem, metuenda pericula, eventûsque ambiguitatem vellicare curantium aures, & cumulare decumbentium languores quam maximè soleant, quæ etiam, si negligerentur, vel præsentaneæ ægrum neci traderent, vel irreparabile aliquod damnum inducerent. Hinc ab ordinaria Morborum curatione, quæ à Causarum ordinariorum remotione inchoatur, avocant subinde Medicum quoque Rationalem, ut secus, ac animo habebat, mutare, quas conceperat cogitationes, necesse habeat. Fitque illud, quando Symptomata adsunt, quæ durius ægrum tractant, causa fiunt morbi peioris aut mortis, & extraordinaria quadam vehementia affligunt. Extraordinariam hinc curandi Methodum vocant *pleriq;*, ubi ad infringenda Symptomata accedere cogitur Medicus. *Alii* verò illegitimam, *Alii* Palliativam, quam ferè sub finem tantum Therapiæ cujusvis, tam Generalis quam Specialis rejiciunt; verum cum gravia ejusmodi Symptomata singularem non tantum Causæ Morbificæ vehementiam præsupponant, sed & ipsa causæ rationem multiplici modo subeant, nec illegitimam sive Extraordinariam dicendam esse eorum Curationem nec hanc curandi rationem ultimo tradendam esse loco opinor, quin potius, cum neglectis ejusmodi Symptomata-

tibus

tibus vel mors ægro, vel status deterior quicunq̄ue imminet, Urgere illa Medicum solent postulantq̄ue, ut quam primum, sepositis etiam quibuscunq̄ue aliis ordinariè, si sine his esset, suscipiendis eò respiciat, & imminetia cervicibus pericula avertat: Hinc cum Indicationes ab Urgentioribus ejusmodi peritæ in executione primum obtineant locum, curationem illorum primò etiam tradendam, illamq̄ue non tam extraordinariam, quam verè ordinariam vocandam esse, *Walaus* censet. Et necessarium omninò est, ut sedulo hùc respiciat Medicus, cum à maximè Urgente agendorum ratio maximè limitetur; *Quid enim primò agendum, quid secundò, vel tertio, indicat, quod maximè urget,* inquit *Jachaus.*

V I I I.

Illam tamen urgentium Indicatio suos habet terminos, limites atq̄ gradus.

Quemadmodum singula, quæ Symptomatum nomine veniunt, tanti non sunt, ut Urgentium titulum mereri, vel specialem opem Medicam requirere possint, ita nec illa quibus alioquin titulus ille conceditur, pari vehementiæ gradu incedunt: Dantur enim, quæ quidem viribus insidiantur, vitæque periculum minantur, mortem tamen brevi temporis spatio inferre apta nata non sunt, hincq̄ue inducias aliquando concedunt; Dantur è contra quæ præsentaneum intentant periculum, indeq̄ue nullas penitus moras permittunt, quod in morborum Tractatione probe attendendum. Cæterum cum abusus & errores nullibi uberius proveniant quam in Saluberrima aliàs Medicina, cauto etiam opus est, ne *adstantium strepitum, ægrorum querelas aut fu-*

mum quemcunq; imponere sibi, aut à *quovis turbine* confundi se in morborum curatione patiatur Medicus.

I X.

Nec cum dūs Pœgiæ Crisin præcedente confundi debet.

NATURAS esse Morborum Medicatrices, non *Hippocratis* tantum, sed & Rationis ipsius ac Experientiæ effato atque consensu constat: hinc nonnunquam quosdam, etiam graviores morbos solius Naturæ beneficio sublato feliciter fuisse legimus. Assequitur verò Natura sive sibi relicta, sive Ministri sui ope adjuta finem tardius aliquando, aliquando celerius: illud quidem Chronicis potissimum morbis accidit, qui cum ab acida ut plurimum ventriculi cruditate vel oriantur vel foveantur, hincque vitalium maximè humorum indigestionem, sanguinisque debilitatem post se trahant, cancrinis ut plurimum gressibus cursum suum absolvunt: Hoc verò acutis magis familiare est, qui peculiare illud sibi ac proprium habent, ut cum periculo conjuncti semper sint, citoque admodum vel perimant ægrum, vel saluti, interveniente licet inter nos rariùs Crisi reddant, Crisis illa veluti Luctam Naturæ cum Morbo innuit, ita ubi illa imminet, turbarum mox omnia plena fiunt, quod *2. aph. 3.* innuitur, ubi nox Crisin præcedens gravis esse dicitur, tum enim gravissima, nec ipsi morbo propria Symptomata irruunt, ut sunt Vertigines, Deliria, Vigiliæ, Singultus, Dolores capitis, Anxietates &c. ut ignari rerum adstantes unà cum ægroto non nisi de extremis cogitare incipiant. Cauto ergò opus est, ne gravia illa utcunq; Symptomata Criseos præfagia pro urgentibus habeantur, eorumque

curatio

curatio improvidè attentetur, quam tamen illa nec expectunt, nec sine damno admittunt. De Vigiliis id maximè attendendum, quæ uti sæpè sæpius Medicam opem requirunt, ita eas, dum Crisin præfagiunt, mittere oportet, hinc Opiata omnem aliàs, ubi urgent Vigiliæ, absolventia paginam, exesse jubent Plerique, ne naturæ motus, conatus, laborque impediatur. Sic nec Capitis dolores Crisin præcedentes curandi, nec solenni- bus aliàs oxyrrhodinis, maximè ubi per narium hæmorrhagiam illa futura est, demulcendi, ne levior doloris mitigatio graviori secuturo malo, & ipsi forte suffocationi januam aperiat, quod & de reliquis Epithema- tum generibus, humidioribus præsertim & actu frigi- dis accipiendum. Imò nec evacuationes criticæ, Hæ- morrhagiæ, Vomitus, Alvi fluxus &c. Urgentiam quan- dam post se trahunt, nisi ferocius agat, nec modum ser- vet Natura, ipsæque excretiones, dum copiosius fiunt, excretionum Symptomaticarum speciem induant, Me- dicamque ita manum primò & per se poscant. Singu- larem Historiam suppressæ Hæmorrhagiæ narium Cri- ticæ improvidè & infeliceiter susceptæ habet *Henricus ab Heer obs. 5.*

X.

*Nec delicata nimis ægrorum mollitiei,
aut præpostera adstantium sollicitudini indul-
gendum.*

Tanta hodie ægrorum nostrorum est mollities, quan- ta prægressis temporibus penè multis vix unquam fuit. Doleat n. venter, male habeat caput, turbati tan- tisper sint spiritus, respuat ventriculus aliquandiu ci-
bos,

bos, elevata alicubi aspera sive perfricta sit cuticula, fluctuare mox animus, confundi, suffocari patientia, profligari tolerantia omnis incipit, mutari statim vires, ferendo tantillo malo impares fieri incipiunt, pericula finguntur talia, qualia ne sub graviore quidem malo cordatior alius metueret. Extirpari hinc, quod molestum ipsis est, volunt, leviorisque incommodi impatientes graviora sibi haud raro damna contrahunt. Medici vero est, ubi in consilium vocatur, dispicere sedulo, an, de quibus conqueruntur ægri, Symptomata, vigiliæ potissimum & dolores sua natura urgeant, anne mollicula ægri impatientia & teneritudo opem Medicam requirat. Frequentissimus est hodie Opiatorum usus & triobolaribus etiam nostris tonsoribus familiaris, quo promiscuè sive dolentes sive vigilantes confugiunt, nescientes, patientem dolorum tolerantiam periculoso quandoque Opiatorum usui anteferendam esse. Nec enim dum venter, Caput, Artus, Oculi dolent, ad Opiata statim & Narcotica properandum est, urgeat licet dolorum impatiens æger, nisi consentiens imperitus rerum Medicus participare de infeliciore successus culpa egregio famæ suo naufragio & conscientia morfu velit. Ex frequenti Opiatorum in Arthritide usu, doloris quidem mitigationem, hanc v. Paralytin insecutam fuisse notavit *Welschius*, nec pro externo usu Podagricis plus prodesse observavit *Borrichius*, quod ex tantillo solatio, humores firmius jam densati promptius in topophos degenerent. Ita ex Opii applicatione demulceri quidem molestissimum in Ophthalmia dolorem, ad cæcitatem tamen & gangrænam insimul disponi oculos *Ettmüllerus* monet. Ut ita pateat, quam graviter sæpè dolorum curationem læere cogantur ægri, quamque

necessa.

necessarium sapius sit, urgentes ægros fallere, vel decertissimè subsecuturo damno monere. Sed & Adstantes & Mulierculæ nostræ pia ductæ Religione, Medicum haud rarò urgent. Illæ enim dum lectulis ægrorum affident, aliquandiu de victu ante omnia sollicitæ esse incipiunt, omnisque generis jusculorum oblatione eorum gratiam aucupare allaborant, quo suo si frustrentur sine, vel quod recusent cibos ægri, vel ab iis exhorrescant, perplexæ illæ statim, malique ominis augures fiunt, cumque nescio quos non ex ciborum suorum usura fructus sibi promittant, urgere vel tandem ægros, ipsumque fatigare Medicum non dubitant, ut convocatis undecunq̄ue persuasionibus vel spontè admittant cibos, vel severis injunctiõibus ad illorum assumptionem adigantur. Ast ne acerbius in molestam fœmelarum pietatem inveham, supra modum illæ utpl. laboriosæ & occupatæ sunt, cum turbatâ Microcosmi Oeconomia, fracta menstrui gastrici energia atque activitate, laceffit principis vitalibus, distractis hinc inde spiritibus, nec stare appetitus, nec perfici ciborum coctio queat, ipsique, si qui assumerentur cibi, corruptioni variæ, causæque Morbificæ locupletationi inservirent, quod etiam innuit Hipp. *Sect. 2. Aphor. 9.* Urgent denique Medicum quoque nimii formæ cultores, quorum vel cutis scabiosis defœdata est ulcusculis vel maculis quibuscunq̄ue decolorata deformataque est. Verum nec hæc comptulorum urgentia semper attendi meretur, nec omnibus ejusmodi ægrorum votis salva assurgere conscientia Medicus potest, quod rationibus & exemplis deduci posset pluribus, si propositi mei ratio id permitteret; Non raro enim dum formæ studet Medicus, sanitatem destruit. Mercuriales Inunctiones

D

quam

quam malè cefferint pluribus scabiolis hinc inde præf. *in Ephem. Nat. Cur.* & ap. *Hæchstetterum Aliosq;* legimus. Variolæ ubi grassantur, de servanda faciei venustate vix dici potest quam sollicitæ sint mulierculæ, cujus gratia & Medicos fatigare, & quoscunq; sibi obvios in consilium vocare solent; verùm licèt multum hinc præstari possit, tamen & hanc operam invita aliquando natura suscipi, tristes hinc inde Casus in *Zod. Med. Gall. & Obs. Borell.* loquuntur. Satiùs etiam esse residuas ab ulcusculis sive faciei sive aliarum partium oculis objectarum maculas intactas relinquere, quam eliminationem cum periculo tentare, *Borelli, Hildani, Aliorumq;* observationibus constat. Prudentiæ tamen Medicæ partem credo, mediâ circa dicta incedere viâ; Veluti enim vitium est nihil indulgere ægris, quod tædium exinde mordicansque animi dolor paretur, & si non in omnibus durus est, sed quantum fieri potest, ægris hoc vel illud concedit Medicus, non imprudenter agit: Ita non minus vitium est concedere omnia, dum metuere debet, non imperfectam modo exinde Curationem, luculentamq; ad recidivas viam, sed & irreparabile sæpius damnum, si non mortem ipsam, suspensâ utrinque conscientia fide contrahi. *Sic temperanda sunt omnia, ut neq; laborans malorum sævitia crudeliùs torqueatur, neq; delicata molliq; Medicina quæ consanuisse videbantur recrudescant,* inquit *Fernelius, Meth. Med. l. 1. c. 6.*

X I.

Trahunt ad se Medicos Curantes Symptomata, quando vel ipsa cause induunt rationem ac indolem, vel ipsorum Cause sui ablationem urgent, vel utroq; hoc modo.

Causa rationem inducere solent Symptomata, cum vitæ inducunt periculum præsentaneum, citiorem inferunt mortem, magis quàm primarius morbus aut ejus causa nocent: Cum morbum, unde dependent, fovent, exasperant, augent; Cum graviores morbum minantur secuturum: Cum curationem difficilem aut impossibilem reddunt. Ipsorum cause sui urgent ablationem, cum ipsa prima & primaria morbi ordinarii causa intenditur, exaltatur, κακώθειαι longè majorem & in perniciem activiorem, imò novam ἐνεργειαν acquirit. Contingunt talia, quando supervenientia vires ita profligant, deterunt, pessundant, ut æger de vita periclitetur, quod e. g. fit in vehementioribus sanguinis profluviiis & excretionibus, ceu ex ruptione varicis mortem subitam vidit Garmannus, etiam ubi dolores nimis acerbè furunt; Nec enim Lindano omnes subscribunt, asserenti, neminem ex dolore mori, nisi de immediata mortis sequela intelligi debeat vel ite, alias enim mediate, interventu gravissimorum quæ excitare aliquando solet Symptomatum, ut sunt Epilepsia, Vigiliæ, Syncope, &c. accelerare mortem posse dicunt; imò Ipsi dolores spiritus maximè atterunt, turbant. Non diu est ubi ex acerbioribus dentitionis doloribus Epilepticos aliquot horarum motus, hosque subitam insecutam mortem vidit Nonnemo. Hisce enim modis principia corporis vitalia concutiuntur, intestini & locales humorum motus turbantur, spiritus, illorum motores profunduntur, irritantur, incenduntur, depauperantur, ut suspendi tandem mutua fluidorum ac spirituosorum commercia necessum sit. Contingunt talia, quando supervenientia præsentia sua primarium unde dependent morbum nimium quantum augent & exasperant: Suspecti hoc

nomine in vulneribus sunt dolores, quod præter alia, incommoda phlegmonem in parte sauciata generent, augeant, vulnerisque sanationem remorentur. Ita frequentes in Febris ardentibus Vigiliæ majorem sanguini acrimoniam continua spirituum jam ante languentium profligatione inducunt, ipsumque serum largius adhuc depascunt. Itidem *accidunt talia*, quando ita graviter affligunt Symptomata, ut novum aliquod malum exinde metuendum sit. Diutius qui durant vomitus, adeo percellere solent ventriculum, ut qui receptioni antea ac retentioni oblatorum destinatus erat, tot laboribus defatigatus impar retentioni reddere mox ingesta cogatur, ut defraudatum corpus pabulo sibi debito, marcescere sensim, viresque languescere necesse habeant. Dolores subinde tam sunt atroces, ut ex concitata spirituum turbatione & quodam quasi furore nutare ratio, emoveri incipiat. Illustrem Personam quoties Colicis doloribus detineretur, delirasse citra ullam febris præsentiam vidit *Merbomius*. Largiores Hæmorrhagias undecunque proveniant, nisi maturè coerceantur, cachexiis, hydropi ansam præbere, vel vulgo notum est. Nec minus aliquando Symptomata *curationem dubiam, difficilem, vel etiam impossibilem* reddunt, exemplo tussis ulceri pulmonum conjunctæ. *Exaltatur, exasperatur & deterior fit causa*, imò *nova* nocentior adoritur, cum e. g. Epilepsia alii supervenit morbo. In his ergo similibusque casibus non cunctandum diu Medico est, ne neglecta talia Symptomata citius suam absolvant Tragædiam, quam curationi ordinariæ insistens incassum se laborare nimis serò animadvertat. Ut autem illorum, quæ dictis modis ad se curationem trahunt & indicant, *indicata* utiliter *exequi* valeat Medicus vel *can-*

sam aufert sive immutat, *vel* dispositionem causæ & sub-
jecti inter se invicem tollit, *subjectum* contra vehemen-
tiores causæ insultus munit, vires, communi loquendi
modo, roborat.

X I I.

Aggreditur Medicus in talibus casibus

S Y N C O P E N.

Quædam, non omnia, curationem ad se trahere so-
lita, Urgentia, ut vocantur, in specie exponam.
Syncope Eclipsis est Microcosmica, casusque ac ruina cor-
poris humani subita, sub qua sensus tam externi quam
interni unà cum motu cessant, pulsus & respiratio abo-
lentur, laxæ partes fiunt & languidæ, sudor circa col-
lum maximè & thoracem erumpit frigidus ac glutino-
sus, facies florido exuta colore languet, oculi caligant,
partes fiunt cadaverosæ, accidunt alia, quæ dubiam sæ-
pè fluctuantis vitæ spem faciunt. *Patrocinantur* malo
huic ovo excludendo Evacuationes plus justò largiores,
solemnium evacuationum suppressiones, vigiliæ, inedia,
occultiores & malignæ humorum corruptiones, acu-
tiores ventriculi aliarumque partium dolores, vehemen-
tiores humorum exæstuationes, stagnationes, coagula-
tiones, & vitia alia. Præstant verò illud, suo tamen
singula modo, quatenus vitæ cardines turbant, sangui-
nis in orbem motum aut remorantur, aut concitatio-
rem reddunt, spiritusque per, in, & cum sanguine in
partibus operantes vel obruunt, vel enervant, vel absu-
munt. Sive v. opprimantur præsentis aliàs spiritus, si-
ve resolvantur ac dissipentur, vitæ periculum ubivis im-
minet, nisi fugitivi revocentur, aut ligati qui sunt aut
utcunq̃e oppressi pristinae mox libertati restituantur.

Partes enim vitali destitutæ calido emori necesse habent. Somnum sæpè mentitur Syncope suavissimum, sicque adstantibus imponit, at quem sæpius naturali somno quiescere crederes, ille fatali jam oppressus somno ejus traditur Fratri. Dum ergò *oritur Syncope*, quia spiritus sive resoluti, dissipati, sive suffocati, oppressi sunt, sanguis sive stagnans sive deficiens, vappeseens, sive nimis fervidus & fluidus nimis est, partes solidæ sive flaccidæ sive tensæ nimis sunt, *urget*, quia cor vitam corporis membris non dispensat, spiritus, sanguinem partibus debitum non transmittit. Ut ergo gementem Medicus animam è mortis faucibus eripiat, præsentissimis instructus esse medicamentis debet, quibus resuscitare deficientem in partibus calorem, reducere abeuntes spiritus, suscitare torpentes, illuminare tenebricosos, languentes restaurare, exhaustos restituere, oppressos liberare, sanguinem dissolutionem quasi compingere, stagnantem coagulatum dissolvere, motui naturali restituere, sensus sopitos excitare, viribus interitui proximis robur addere queat. Profunt excitando *dolorifica* quæcunque, *ligaturæ* partium fortiores, modo stringendæ, modo relaxandæ, *frictiones* pannis a superioribus institutæ, *vellicatio pilorum*, *aspersio* frigidæ aquæ, (frigida tamen externa, in morbis malignis & aliis quibusdam casibus tuta non sunt) vini, aceri, subito facta, *sternutatoria*, *balsama*, *spirituosa*, *urinosæ*, *oleosæ*, *odorata* quæcunque acriora, præf. naribus oblata, temporibus, carpis, umbilico, testibus admota. Egregiè ipsos spiritus afficiunt *sulphurea*, *spirituosa* ori, labiis, linguæ instillata atque illita, quæ residuos ibidem tantillos spiritus, sopitos ligatosque recreant, & intimius sese istis jungunt, qui postmodum totam mox, quantula hic ibi adhuc languida superest spirituum compagem,

vi mutuae quæ inter ipsos intercedit cognationis, amicitiae, ac consensus gaudii certiores reddunt, unde & ipsi subsultant, de quæ collato ipsis solatio lætantur. Illaque, quæ subvenire ita nutantibus solent spiritibus, simplicia ac composita sunt plura, *Volatilia, spirituosæ, oleosa, aromata, & aromatica varia, Aqua cinamom. simpl. & buglossat. Aq. Apoplect. Carbuncul. spir. rosar. lil. convall. ceras. nigr. Essent. cinam. Ambr. Elix. vit. Querc. & Mathiol.* aliaque plura aliunde petenda. Ipsum *vinum* non immeritò pro velocissimo & excellentissimo refocillante (modò febris absit) habet *Hæchstetterus*. Aliquando *acetum* vel simplex vel compositum sufficit. Nec *aëris frigidi*, cui aliquando exponuntur Syncoptici, admissio culpanda, exceptis febribus continuis ac malignis, ubi non tuto conceditur. At diversas, quas antè posui causas, ut consideret Medicus, nec cœco ruat impetu, necesse est, ne sub promiscua spirituosorum ac volatilium exhibitione, fuget potius quam revocet paucillos qui supersunt spiritus. Nam, ubi à nimia sanguinis dissolutione, rarefactionibus sanguinis scorbuticis, æstu febrili intensiore oritur syncope, *valde volatilia, sive urinosa sint, sive sub-hurea*, nocent, prosunt e contra *acida, aquea, absorbentibus* temperatè calidis mixta. Ubi à suffocatione, oppressione quasi spirituum, stagnatione, coagulatione sanguinis oritur, nocent modò dicta, prosunt e contra *spirituosæ, volatilia, aromatica, & pro inversione congelantis causæ absorbentia*. Nec spirituosæ ista atque nimis odorifera indiscriminatim pro usu licet tantum externo usurpanda esse in literatis, sexuque sequiori, monet *B. Ettmüllerus*.

XIII.

EPILEPSIAM.

OMnes convulsione quædam vel prægressa vel complicata mori homines, *Recentiorum Quorundam* dogma est, de cujus universalitate non operosè disputabo: fateri tamen necesse est, frequentiorè hodie inter nos Epilepsiam ac elapsis temporibus esse. Frequentius tales nervosi generis passiones cernimus in Febris malignis, Colica, Dentitione infantum, Parturientibus, Puerperis, Scorbuticis, Hæmorrhagiis largioribus, Verminantibus, Hypochondriacis, Melancholicis, Variolis, evacuationibus consuetis suppressis, casibusque aliis quam plurimis: Horribilia verò admodum & truculenta sunt ejusmodi Symptomata ob diram miramque membrorum afflictionem, illa enim mirè subsultant, agitantur, concutiuntur, pedes tremunt, dentes strident, brachia variè se jactitant, oculi contorquentur, os diducitur, lingua agitur, spuma ore ejicitur, ronchi, stertores, clamores percipiuntur, corpus totum distenditur, elevatur, inflatur, horrendè afficitur, horumque omnium ignari ut plurimum sunt ægri ubi ista remittunt, quod sensus utpl. omnes, ipsaque anima insimul occupentur turbenturque, (salvos tamen ante, in & post paroxysmum sensus omnes, externos & internos, ipsam etiam loquelam, non una tantum vice observarunt *multi*) veluti verò terrorem pathemata hæc adstantibus incutiunt, ita graviora ipsis ægris pericula, ipsamque sæpius mortem minantur, inferunt. Testantur id numerosæ Authorum observationes, & paralyin, melancholiam, maniam, cœcitatem, desipientiam, stupiditatem, hydropem, syncopen, apoplexiam & sæpius suffo-

suffocationem lethalem spasticos ejusmodi insultus in-
 duxisse, referunt. Dum ergò talis membrorum con-
 cussio jactatio à spiritibus animalibus vivis (i. e. suo
 Rectore instructis) irritatis, ferocibus à membrana ner-
 vea singulariter vellicata *oritur, urget*, quia illa quassa-
 tio membrorum spiritus singulos dissipat, resolvit, dis-
 gregat & in anomalias lethales sæpè agere solet, partes
 ipsas vigore, tono ac vita privat, principes potissimùm
 in suo officio dejicit. Quis ergò suspendendam hinc diu-
 tius curam censeret, imò quàm maximè illa acceleranda
 est, respiciendumque ante omnia ad acre illud quod-
 cunque nunc fixius nunc volatilius irritans, nervoso ge-
 neri inimicum, ad fibras motrices nerveas violatas, dis-
 tortas, vellicatas, ruptas, ad Spiritus denique irritatos
 interruptos ferocientes, impetuosè motos: Hinc quam
 primum insultu tali obruitur ager vel certis quibusdam
 prælagiis imminere paroxysmum cernimus, ut urgenti
 illi turbato nimis & quasi furibundo spirituum motui
 occurramus, inordinatas eorum commotiones in or-
 dinem revocemus admovenda naribus, instillanda ori,
 inungenda temporibus, cervici, vertici, *acria spirituoſa, sul-
 phurea oleosa, penetrantia, volatilia varia*, ceu sunt *Ol. & Essent.
 succin. Essent. castor. spir. sal. armoniac. vel urinosus* quicunque
 alius, *theriaca cum succo rutaceo dissoluta, bals. rut. succin. ma-
 joran. acet. rut. lavend. &c.* subjungenda his & alia, insti-
 tuendæ dolorificæ partium *frictiones & ligaturæ*, injicien-
 di *clysteres acres*, applicandæ *cucurbitula*, imponenda *ve-
 sicatoria, sinapismi*, etiam *umbilicalia* ex commendatione
Hoffmanni utriusq;, proritandæ, si tutum videbitur, *ster-
 nutationes*, compungendæ plantæ pedum, vel admovendæ
is crustæ panis tostæ ferventes sale largiùs perfriçtæ, *vellicandi
 mili*, tentanda alia quæ revocare aberrantes spiritus mo-
 E tuique

tuique naturali restituere valent. Opitulari his possunt solentque, instillata aliquot cochlearia *Aqua Epilept. Lang. Hirund. cum & sin. castor.* modo faucium orisque (hujus diductio non diu differenda, & si fieri potest bacillo liquirit. vel frustulo rad. *paon. succ. rut. intincto saccul. ex crassiori tela parat. sinap. castor. rut. repleto* dentibusque supposito præcavenda) constrictio illarum usum concedat: Redditis sibi aliquantisper spiritibus, irritatæ mox nervosæ partes solandæ, roborandæ, muniendæ, nocivæque nervis, ac sui generis acrimonia corrigenda, destruenda, immutanda. Quæ præstant partim interna sunt partim externa, absorbentia, antepileptica, nervina, cephalica, quibus pro rerum exigentia modo *Anodyna*, modo *Alexipharmaca*, modò alia jungi debent. Celebria specifico quasi fine sunt *Succinata, Castorina & Cinnabarina*, item quæ ex *paon. valerian. ruta, rosmarin. lumbric. alc. hirund. cran. hom. matr. perlar. corall. crystal. &c.* petuntur, ex quibus celebria hinc inde composita prostant. Externè pingued. *hom. castor. viperin. ol. lumbricor. castor. è flor. Slozan. succin. &c.* non sine successu adhibentur.

X I V.

V O M I T U M.

EX proprio Ventriculus vitio sæpè subvertitur, sæpius tamen alieno, dum aliarum partium infortunia ob multiplicem consensum experiri cogitur; Inde enim est, quod Iliaci, Colici, Nephritici, Hypochondriaci, Hystericæ, Vulnerati &c. tanto virium detrimento tot vomitibus excrucientur. Utut v. aliquando innoxie contingant ejusmodi vomitus in febribus præsertim intermittentibus, nimia ventriculi repletionem, affectu Hypochondriaco &c. contemnendi tamen in universum omnes non sunt, præsertim ubi nimii sunt, vires debiles,

les, pectus angustum, lipothymia etiam accedunt, singultus, surditas, motus denique convulsivi superveniunt, ipsique vomitus licet in principio non adeo graves, diutius continuare velint. Hinc lethales etiam Vomitiones describunt *Ephem. N. C.* Vomitionibus enim crebrioribus ita labefactatur ventriculus, ut quicquid postmodum pro toni roboratione moliaris incasum suscipias. Dum ergo Vomitus nimis a Spasmodico ventriculi motu irritatis Spiritibus Animalibus in fibris nerveis, motis fibris carnosis *oritur, urget*, quia per istum fibrarum harum tonus relaxatur, spiritus dissipantur, disgregantur, totius corporis machina concutitur, vires dejiciuntur, multi gravissimi morbi sequuntur. Maturanda ergo citra cunctationem Curatio, in Phtisicis praesertim Astmaticis, Herniosis &c. & nisi haereat causa in ventriculo quae sui educationem postulet, missis vomitoriis ipsa mox roborantia, & irritatum ventriculum placantia in usum vocanda, habito semper causarum morborumque respectu, & quidem potissimum in forma pilularum, nam quae ullo modo irritare potest aut quasi titillare formula, ut & largior haustus, non convenit. Cum vero utpl. acrimonia quaedam, licet gustui non semper manifesta, hincque oriunda Ventriculi irritatio, ac impetuosior spirituum, fibras villosque, roborantium motus & exorbitantia hic concurrat, vel antispasmodica, nonnunquam & opiata adhibenda, quae demulcent ac sopiunt spiritus, illasque exorbitantias sufflamant, cui scopo *Corn. alc. ungu. alc. succin. corall. matr. perlar. Cinnab. nativ.* quam tamen influxibus nimis formidat Excell. Dn. D. *Præses* cum tantillo opiati cujusdam inservire possunt, quibus & *Anody-externa* scrobiculo cordis ac umbilico admovenda suc-

centurianda sunt. Vel *adstringentia stomachica*, & quidem si vomitui febris juncta, *frigida*, sin secus, *calida* in usum ducenda ut roborentur ac firmentur labefactatae ventriculi fibræ, quo fine *cydoniata*, *citrata*, *ros. rubr. acetosa*, *granata* &c. laudata ante *absorbentia*, *menth. absynth. mala aurant.* &c. parataque inde varia pro interno & externo usu usurpari debent. Vel his dictis juncta, quæ varii istius fermenti seu materiæ irritantis heterogeneam qualitatem sive texturam tollunt, emendant, de quibus *specialiùs* in specialibus casibus.

X V.

A L V I F L U X U M.

Alvi Fluxus inter varia morborum accidentia non ultimum locum merentur, qui ceu salutari quandoque naturæ instituto suscipiuntur, ubi videlicet Critici v. quasi Critici sunt, die Critico, & apparentibus Coctionis signis in morborum declinatione superveniunt, viribus non valdè dejectis, sed bonis ægri rebus ac facili tolerantia fiunt, morbi que si non solutionem, maximam tamen illius imminutionem post se trahunt; ita dubii eventus esse solent, ubi magnum ægro laborem faceffunt, vires dejiciunt, morbumque cui accedunt, augent. Talesque Alvi fluxus Symptomatici communiter audiunt, Variolis, Hydropicis, Pleuriticis, Scorbuticis, Phthisicis, Hefticis, febribus malignis & Puerperis haud raro accedentes, majore semper cum periculo conjuncti, quo proximiores adhuc morborum acutorum principiis vel incrementis sunt. Periculosissimi verò omnium sunt, si colliquativi fuerint, cum excrementorum graveolentia, fluiditate nimia, diversisque substantiis ac coloribus. Ubi ergò ab ejusmodi excretionibus notabilis vi-

ribus

ribus ruina imminet, Lipothymiaë aliaque mala metuenda, de earum inhibitione deliberandum diu non est. Dum enim talis alvi fluxus *oritur*, vel à stimulorum vehementia succos tam laudabiles quam illaudabiles profundente, vel à colliquatione, fusione fluidi laudabilis, *urget*, quia spiritus imminuit, educit, resolvit, humoribus debitis corpus depauperat, viresque sic maximè de-jicit, ipsamque causam morbificam multum degenerasse ostendit. Acres, fermentativos, irritantes ac stimulantés humores emendant, absorbent, invertunt *corall. preparat. crystall. preparat. C. c. ust. bol. armen. terr. sigillat. unicorn. fossil. &c.* quæ insimul per blandam diaphoresin, in sufflaminandis nimis alvi fluxibus commendatissimam, aliquam peccantium humorum partem excludunt. Diluendo, temperando, inviscando, *oleosa, gummosa, mucilaginosà Emuls. Amygdal. dulc. & sem. 4. frig. mastiche. oliban. pulvis ex amylo, oryza, &c.* conveniunt. Quibus tandem succedere aut, si maxime urgetur, etiam mox in principio jungi possunt *Opiata*: Tantillum *Theriacæ* cum *aq. cinam.* adhibetur haud rarò feliciter. Vel hujus loco *Ther. celest. Laud. opiat. pulv. anodyn. varii Extract. Bezoard. Excellentiss. D. Praesidis, papav. simpl. & compos.* aliaque prioribus variè combinata, quibus addi quoque dosi contractiore vel diffusiore, prout necessitas postulerit, *styptica* possunt, *austera, adstringentia ex tormentill. bistort. plantag. Cydon. &c.* Internis suppetias ferunt & externa, *Olea Emplastra, suffitus, fomenta sacculi &c. ol. nucist. umbilic. illitum,* longâ Experimentiâ comprobatum est. *Bals. Peruv. ol. mastichin. cydon. Emplast. ex Theriac. & bals. Peruv.* non infeliciter segerunt. Solam Naturam tales sistere fluxus *Unus & Alter Medicorum* vult, quod aliquando concedo, sed rarò, cum descripto modo se fluxus habent,

XVI.

SANGUINIS FLUXUM.

Quemadmodum sanguineæ excretiones in pluribus morbis contingunt, ita varias quoque vias sanguis sibi eligit per quas perumpit, nares, uterum, anum, pulmones &c. patet sæpè porta à causa externa, aperi-ente vasa, vulnerante &c. Damna verò, ubi nimium exce-sserint, exurgunt inde varia, singultus, convulsiones, cachexiæ, totius corporis stupor, mors aliquando ipsa; Nec est quod quisquam evenire ista miretur, vitæ the-saurus est, qui hîc profunditur, Animæ, ipsius Sacri co-dicis effato, habitaculum, Rex corporis, cujus jacturam non nisi ægerrimè illud tolerare potest. Cum E. in san-guine incipiat vita & finiatur, probè ille custodiendus, obicesque eidem, Symptomaticè, & ultra virium tole-rantiam prorumpenti, quocunq̃ue fieri modo potest po-nendi. Dum ergò nimia hæmorrhagia *oritur*, vel ab ipsius sanguinis fervore, orgasmo, impetu, acrimonia, tenui fluxilitate, vel à viarum ac loci è quo effluit p. n. & nimia apertione, *urget*, quia spiritus cum sanguine, unde, ut dictum modò, vita dependet, profundit, ca-loreque debito partes privat, inde varios morbos & mor-tem post se trahit. Non vero *verbis* ludemus, & *cha-racteribus* effluente sanguine fronti appictis, chartæve il-litis ac devoratis vel *appensis*, nec tacitè obmurmurata certa *sententia* & similibus *superstitiosis*, *Diabolicum sapius pactum spirantibus*, verùm solidis innixi fundamentis, ha-bito fluidi solidique, sanguinis puta & vasorum, respe-ctu, sanguinis impetum compescere, acrimoniam mitigare, fervorem restinguere, tenuitatem corrigere, apertaque vasa occludere medicus conetur. *V. S.* omnem aliquando curationis paginam absolvit, non sanguinem solum

solùm copiosum imminuendo, sed & revellendo ac derivando, nè ad ad locum è quo exit tanta copia confluat. Impetum sanguinis ac fervorem coercent *Emuls. sem. 4. frig. Julepi refriger. Acidula, subacida alia.* Terrori quoque & Epithematibus suis aliquando locus concedendus: Acrimoniam sanguinis & feri mitigant *diluentia, absorbentia, invertentia.* Unicorn, fossil. Corall. *crystall. bot. armen. C. c. ust. Aq. & succ. acetos. becabung. plantag. lactuc. nymph. semperviv. &c.* In nimia sang tenuitate post *Emuls. Amygdal. mucilag. cocta in jusculis vel aqua Ichthyocolla non contemnendum est remedium.* Pro apertorum vasorum conglutinatione, exiccatione, adstrictione faciunt *cort. granat succ. hypocist. acac. sang. dracon. equiset. croc. Mart. adstring. lap. hæmatit. pulveres, liquores, essentia stiptica varii generis, crepitus lupi, alb. ov. tragac. lac Da pil. leporin.* junguntur feliciter varia illa ad unum scopum conspirantia; quibus activiora contra hunc hostem, *opiata* & in vulnibus *Cauteria actualia* addit nonnunquam Medicus. Virium ratio ubivis habenda, potiùs tamen robur ab absorbentibus fixis, quàm à multis volatilibus, spirituosis, aromaticis in nimio sanguinis fervore quærendum est, parceque hæc posteriora exhibenda.

XVII.

D O L O R E M.

ADversæ corporis valetudini ferè semper adjunctus est *Dolor*, pœnarum peccati non minima, cujus diritatem partes tantum non omnes experiri coguntur. Tam acerbè v. subinde furunt Dolores, ut sepositis omnibus, consulere ipsis, si graviora declinare velimus mala; debeamus. Gravia ex dolore Symptomata, Phrenitidem, Desipientiam, Deliria, Syncopen, Epilepsiam, Extre-

Extremorum frigus, mortem ipsam, *Borellus, Hæchstetterus, Welschius, Weyferus, Hildanus, & Alii* viderunt, nè de vigiliis, inflammationibus, febribus &c. quicquam dicam; imò adeò sæpè dilaniant discrutiantque ægros, ut sui amplius compotes esse desinant, dolorumque immanitate victi mortem quærant, vel violentas sibi inferant manus, vel ipsam, horrendum dictu, animam Diabolo commendent V. *Act. Hafn. P. 5. O. 69.* Maturanda ergò dolorum medela, sed cum iudicio, ne Charybdis evitaturi in Scyllam unà cum ægro incidamus. Nec ægro doloris sedationem urgenti semper indulgendum. Quæ *formalitas doloris* sit, Philosophicè, quia Practicum hîc ago, non disputabo, hoc tamen pono, in dolore, esse tactus sensum cum molestia, quæ ex improportione & actione invicem organi & subjecti *oritur*, ut fibræ nerveæ tendantur, corrugentur, ab inæquato, improporcionado illo, irregulari, acuto, scindente, rigido corpore vehementius in fibras nerveas illabente, unde spiritus turbantur, irritantur, vitiosè moventur, *urget* ergò, quia spirituum non solum defectum, sed & confusionem, turbationem, distensionem, sanguinis dyscrasiam, orgasmum, impetum vehementem, partium solidarum impotentiam, debilitatem, modo laxam modo rigidam inducit. Dolorem autem mitigaturus, in usum ducat, quæ fibras plus justò tensas, contortas, vel licatas relaxant, leniunt, demulcent, emolliunt, blando calore suo fovent, solantur, vi balsamica roborant, quæ particulas fibræ inhærentes, vel imminentes acres, tam lixivias quàm acidas, acutas, inæquales, mitigant, corrigunt, dissipant, incrassant, temperant, oblinunt, turbatos denique spiritus in ordinem redigunt, componunt, furibundos placant, irrequietos coercent. Lau-
dem

dem hic merentur *oleosa, pinguis, mucilaginosi, emollientia, lubricantia, plus minus humida, calidis, tenuibus, activis, penetrantibus, nervoso generi amicis particulis non orbata, externo potissimum usui dicata, sub Anodynorum, Paregoricorum Titulo apud Scriptores Mat. Med. ubertim prostantia. Profunt papaveracea, opiata, absorbentibus, cinnabarinis, nervinis nupta. Opiata, quomodo agant, secundum varias hypotheses variè explicant; sufficit mihi pro nunc illa acrimoniam improportionatam obtundere, corrigere, mitigare, spiritus irrequietos compefcere, dispersos colligere, turbatos feroces refrænare, sensum sopire, sudorem promovere; quo modo etiam papaveracea hic conveniunt, dum mitigant inimicas particulas, spiritusque quieti dant & diaphoresin juvant. Cinnabarinorum virtus polychresta, qua nervoso generi, partibusque tam fluidis quàm spirituosis se commendant, notissima hodie est. Nec absque commodo Medicus jucunda, oculis & auribus grata, adducit, mollia objecta nulla angulorum inæqualitate molesta tactui offert, spiritus per suavia colloquia, grata nuncia divertit, imò & nonnunquam per dolorem alterius loci majorem avertit. Quod si jam specialissimus & applicativus Opiatorum usus describendus esset, næ, nimium mihi, sub tam numerosa Dolorum sobole excurrendum foret. Respicendum tamen ubivis ad *Ætatem*, quæ in Senili & Infantili partem Opiatorum usum suadet, ad *Vires*, quibus valdè collapsis, mortem exhibita accelerant, ad *Pulmones*, qui ubi pure, muco obsessi sunt viscido, tenaci, graviter illa ferunt, ad *Morborum tempora*, in principio enim & statu ab iis ferè abstinendum, ad *Humores*, crassi enim qui sunt, malè opiata fuerunt. Plura, quæ opiatis, minus fortè dextrè usurpatis adscribi solent incommoda, evitari commodè possunt, si contractiore dosi exhibean-*

tur, iisque pro causarum, unde oriri solent diversitate, vel universalia, vel specifica, vel absorbentia vel nervina misceantur, quo etiam modo securius feliciusque tolli dolores cernimus. Sed hæc *Specialibus* reservanda sunt Casibus.

X V I I I.

V I G I L I A S.

GRavissimè licet decumbant & in tristissimo rerum statu versentur ægri, facilius tamen omnia ferunt modo placido de nocte somno frui ipsis liceat. Verùm sæpè sæpius plures transeunt noctes quibus videre somnum nequeunt. *Oriuntur* tales Vigiliæ, quod dolores nimii spiritus animales turbent & à quiete avocent, vel quod blandæ alimentorum exhalationes spiritibus Animalibus perfundendæ ob longam inediam deficient, vel quod serum nimis sit absumptum, ductusque hinc cerebri nimis exiccati sint: Vel, quod fervor, orgasmus humorosorum spiritibus omnem deneget intercipiat quietem, quasi introgressum. *Urgent* hinc, quia spiritus consumunt, non raro in furorem agunt, sanguinis inordinationes commovent, æstum augent, sensus debilitant, corpus exiccant, sitim intendunt, ipsam animam turbant. Ne ergò protractæ diutius, gravius vitæ viribusque periculum intentent, amoliri quantum possibile est, aut infringere ejusmodi causas summo annitendum studio. Facient hûc *sulphure oleoso, aromatico, roscidis mucilaginosiis particulis pollentia, demulcentia, humectantia, diluentia, serum suppleantia, alimenta medicamentosa & similia: Emulsiones ex amygdal. sem. 4. frig. papav. benè se ubivis gerunt. In senibus ipsum subinde vinum remedii loco est; Papaverea laude hic digna sunt; Opiata, cum cautelis in priori Thesi adductis multum præstant, Senibus facilè Necrotica fiunt; Lintea Aq. rosar. immersa & frigidè sincipiti ac temporibus, cessantibus aliis Symptoma-*

tibus applicata, plus quam quævis Narcotica profuisse dicit *Sydenham*. In malignis tamen ego non fiderem huic remedio. Inunctio temporum *unguent. popul. ol. nucist. express. chamom. destill. & succin. alb. opio aceto soluto* invicem mixt. prodest. Qui solis contenti sunt externis, ad alia quoque abeunt: *Turundam ex Laud. opiat* naribus immittunt, *Lotiones pedum ex decoct. fol. lactuc. nymph. solan. cap. papav.* instituunt, vel similibus decoctis tempora fovent, *nodulos ex flor. rosar. aneth. viol. chamomill. sem. papav. alb. opio, camphor. croc.* confectos *agua rosar.* irroratos naribus objiciunt: *Columbas dissectas* calentes plantis pedum imponunt, *sebum hirci* volis manuum plantisque pedum inungunt, *zaleolos raphani*, vel *matricariam* aut *absynth. cum sale* plantis pedum supponunt, *poma somnifera* manibus tenent, aliaque suscipiunt quibus revocare somnum aurochariorem sperant. Cœterum Hypnotica rarò exhiberi sola solent, sed vel alexipharmacis, vel nephriticis, vel cephalicis, vel anticolicis, vel alterantibus aliis, pro affectuum quibus accidunt diversitate, jungi debent. Juxta hæc Medicus & objecta externa spiritus moventia removet, blandè verò eosdem demulcentia, quieti dantia varia externa admovet.

X I X.

ANOREXIAM, NAUSEAM.

Vix quenquam lecto affixum videas, qui non una ex his, nam differunt, teneatur. Nec enim febri- citantes solum, sed & plerumque ii, qui crebris excretionibus, diarrhæis, dysenteris, tantum non absumuntur, qui podagricis, nephriticis, colicis, aliisque excruciantur doloribus, quibus venter hydropico tumore distentus est, qui a solennibus evacuationibus sibi suppressis, nescio quam in visceribus labem circumferunt, incommodo hoc detinentur. Licèt autem talis pro-

stratus appetitus, si diutiùs durat vires enervet, corpus exiccet, vigilias inducat, actiones labefaciet, tamen non ràm in se *urget*, quàm vulgus Ipsum Medicum, cum omnem sanitatem in eo consistere putet. Imò salutaris sæpè est, illa ciborum sive averfatio sive abftinentia, iis præsertim quorum sanguis incendio febrili exæstuat, quorumve corpora omnis generis cruditatibus adimpleta sunt, quos si cogeres ad cibos, vel cumulares causas morbificas, easque sustentares, vel coctionibus intentam naturam turbares, vel onerando imparem ferendo ventriculum anxietatibus gravissimis ansam suppeditares. Illud si noffent Mulierculæ nostræ, Adstantes alii, nulla sæpè sua gratia de ægrorum salute solliciti, non tam crebro turbarent ægros edulis suis, nec nauseabundos ab his ventriculos acidis mox *spiritibus, elixiriis, &c.* aggredierentur, nec Medicos aliud edoctos, ut languentibus ut ipsis videtur, ægrorum ventriculis maturè succurrant, adeò urgerent, fatigarentque. In hoc tamen ob causas jam dictas ægro indulget aliquando Medicus; Unde pro causarum diversitate diversa exhibet medicamenta. Fermentum ubi defecerit, restituendum est, *salinis, acidis, plus minus volatilibus, rad. aron. piperit. acor. ver. elixir. proprietat. spir. sal. crystall. tartari &c.* Restaurandum, corrigendum, excitandum est, si iners sit, viscidæque immerfsum mucilagini, à torpidis humoribus obsessum, *incidentibus, penetrantibus, attenuantibus, amaris, lixiviosis, aromaticis, sal. absynth. junip. rad. aronis, pimpinell. cort. arant. pip. &c.* indeque paratis variis. Ubi à sulphureis calidis oleosis particulis obtunditur, *conserv. acetos, acetosell. rosar. rubr. vitriolat. citri, tinctur. rosar. cydon. granat. &c.* Ubi spiritus, aut calor deficiunt, *aromatica, analeptica, oleosa, volatilia, spirituososa, amaricantia, ut supra, ut galang. macis, piper cinamom. &c.* conducent. Ubi verò calor excesserit, refrænandus venit *temperantibus, aqueis, subacidis, diluentibus, mitigantibus, aqueis, succis, Emulsionibus amygdalatis, conserv. acetos. viol. &c.* Laxitas denique ventriculi si in causa fuerit, *nervinis, roborantibus, adstringentibus, acidis,* restitui haud incommode potest. *Acida, amara, varia alia, sub causarum connubio prudenter si junget Medicus, felix erit.*

X X.

S I T I M.

Ubi Corpus incendiis incandescit febrilibus, naturalis in corpore lymphæ deficit, absumitur, vel salinâ & lixiviosâ adulteratur acrimonia, ubi partes faucium atque oris molles aliâs & laxæ à pulmonum æstu & excurrentibus per asperam arteriam igneis fuliginibus exiccantur, arescunt, exasperantur, Sitis, symptoma ægris molestissimum oritur. Secundum sententiam *Mercurialis* ex Siti nemo moritur; periculosissimum tamen Symptoma dicitur *Excellentissimo D.N.D. Metzgero, Patrono atq; Præceptoris meo ætatem colendo, quodd morbum per validum, expugnatumq; difficilem indicet, novam, jam afflicto afflictionem addat, totum corpus graminum instar pluviarum defectu exarescentium, aridum & exuccum reddat, viribusq; quàm maximè infidietur.* Non tamen toties ipsa Sitis urget, quoties Ipsi Ægri, ipsum Medicum, ut sitim sedet, fatigant. Plerumque autem, dum primariæ obviâ it causæ morbificæ, sitim simul tollit Medicus. Siti autem cum contra it, ut faucibus, palato, Linguae, affundat humidum, prospicit, vel ex *vasis salivalibus*, vel ex *aëre*, vel *ab extra*, vel causam siccitatem inducentem tollendo, acres salinas particulas mitigando, enervando, æstum nimium imminuendo. Profunt his modis varia in ore detenta, *globuli, lapides, crystallus, granulata mastiche, tamarindi, cerasa acida condita, trochisc. de crem. tartari &c.* *Aër frigidus* patulo ore haustus, *collutiones* oris frequentes, varia potulenta, *decocta, succi, gargarismata* & id genus alia. Circa potulenta *cautione* opus est, nè nimia eorum ingurgitatione tonum ventriculi laxemus, corpori noxam inferamus, & subito frigidorum haustu subitam refectionem quærentes contumaciorem morbum gravioremque reddamus. Incommoda evitare possemus plura à frigido potu oriunda, si, *Chinensium* more ad minimum a grotantes calidis sitim fallere disceremus. Sed cum ægrè illud à plerisque obtinere liceat, concedi pro præsentiore faucium recreatione talia frigida possunt, in ore aliquandiu detinenda, nec nisi probè ab oris calore temperata ad ventriculum demittenda; Parantur *decocta* varia, ex *rad. acetos. liquirit. tamarind. bord. crud. spiritu sal. vitriol. succ. citri berb. acidulata, tinctura rosar. julepi varii, Acidule*, commendantur. Sunt qui pro fallenda in febribus siti recentes ex sarmentis deceptos *cucumeres* concisos, oreque aliquandiu con-

tentos laudant: Alii succo sempervivi mucilag. sem. cydon. cum syrup. viol. laminis mali citrii sacch. conspersis, Alii aliis non sine levamine utuntur. Commendari solet Instrumentum Sanctorii Sanctorii, ex vitro vel argento formatum, sero lactis, succo granatorum, syrupo citri vel alio grato liquore repletum, in ore detentum, quo continua stillatione sive transfudatione fauces palatum ac os madefiunt.

X X I.

Non tamen semper, ubi dicta & alia curationem ad se trahere videntur, trahi se permittat Medicus.

Nulla est Regula, quæ non patiatur exceptionem, & ut aliàs posita Indicantis præsentia in genere Indicati auxilia non semper admittuntur, ita nec urgentia cæteroquin talia, licet Ægrum sensim conficiant, quæ requirerent auxilia innoxie semper ferunt. E. G. Hydropicorum vigiliæ, vix dici potest quàm molestæ sub tantâ torminum, dolorum, tensionis, sitis, aliorumque malorum sævitia ægris esse soleant, maximè, cum ad plures sæpè septimanas protrahantur, ægrosque misere conficiant. Hi, dum alii salutis Anchoram in opiatorum usu inveniunt, necem sibi ipsis Itorum assumptione accelerarent: Abstinerere ergò in tali casu debemus, dissuadente illorum usum summo virium languore, & facillima ad suffocationem proclivitate (adeò sæpè urgente, ut à sola palpebrarum, præ lassitudine, concidentia nisi subito iterum elearentur, mox, mox, metuenda sit,) quæ ab improvida, opiatorum exhibitione, ligatis, fixatisque paucillis, qui adhuc supersunt, spirituum manipulis acceleraretur. Orthopnoea quoque sæpius gravissimas vigilias post se trahit, at nec ibi opiata sine damno, ubi à crassis viscidis oritur humoribus, exhiberi, modus opiatorum operandi evincit. In Pleuritide gravidarum tussis, dolorque ob imminens abortus periculum Opiata quidem etiam pro refrænanda doloris acerbitate, tussisque vehementia considerarent, at cum sufflaminare illa expectorationem adeò hinc salutarem & necessariam soleant, & illa sub tali rerum statu tuta non sunt. In Specialibus Casibus plures tales insinuandæ sunt cautelæ. Sed ultra propositi spheram excurro, nec enim singula, quæ moneri sub consideratione Thematæ tanti momenti & utilitatis in Praxi, deberent, adeò paucis pagellis includi possunt; Claudio ergò vivum, Deoq; pro concessa mihi gratia Sacra Gratiarum holocausta supplex consecro.